UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XVII. De recessu domini imperatoris, quem Concilium benedixit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

Visual Library

# SESSIO XVII.

*De receſſu domini imperatoris, quem Concilium benedixit.*

DIE Lunæ quintadecima ſupradicti menſis Iulii, Conſtantiæ prouinciæ Moguntinenſis, in eccleſia maiori, in loco ſolito adhoc ſpecialiter deputato, fuit tenta & ſolenniter celebrata ſeſſio generalis, præſente ibi ſereniſſimo principe domino Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ, &c. rege, vna cum quampluribus principibus, ducibus, comitibus, & nobilibus. In qua celebrauit officium Miſſæ reuerendus pater dominus Vdalricus epiſcopus Verdenſis: præſidebatque ſeſſioni huiuſmodi reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis cardinalis Viuarienſis, indutus pontificalibus: & ſingulis ordinatis, legebantur litaniæ, ac aliæ deuotæ orationes more aliarum ſeſſionum. Ipſis autem omnibus expletis, dominus Sigiſmundus rex prædictus ſtetit ante altare genibus flexis in veſte non imperiali, ſed quotidiana, capite denudato, aſſiſtentibus eidem reuerendiſſimis patribus dominis Laudenſi & de Vrſinis ſanctæ Ro-

*Die Lunæ decimaquinta menſis Iulii ſupradicti, fuit ſeßio generalis in eccleſia cathedrali Conſtantienſi, mane hora conſueta, pro receſſu ac felici tranſitu ſereniſſimi principis domini Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ, &c. regis, ac conceſſionis fiendæ reuerendiſſimo patri domino Angelo Corario cardinali Conſtantinopolitano, olim Gregorio papæ duodecimo in ſua obedientia nominato, nuperrime papatui ſuo renuntianti: præſente ibidem præfato domino Sigiſmundo Romanorum rege in habitu quotidiano, nec non præſentibus reuerendißimis patribus dominis Ioanne Oſtienſi, Angelo Prœneſtino, Iordano Albanenſi, epiſcopis, Joanne ſancti Sixti Raguſinenſi, Antonio Aquileienſi, Alamanno Piſano, Thoma Tricaricenſi, Branda Placentino, Antonio de Salancho, presbyteris; Amadeo Salutiarum, Rainaldo de Branckaſiis, Ludouico de Fliſco, Landulpho Barenſi, Odone de Columna, Lucido de Comite, & Franciſco Florentinenſi, diaconis cardinalibus. Quibus ſic exiſtentibus, vt præfertur, ibidem fuit celebratum officium Miſſæ per reuerendum patrem dominum Vlricum*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Anno Christi 1415.

manæ eccleſiæ cardinalibus. fuitque interim cantata litania: & cum peruentum eſt ad locum, Vt eccleſiam: dominus præſidens legit in hunc modum: Vt eccleſiam tuam & regem noſtrum imperatorem electum, hic præſentem, eccleſiæ tuæ aduocatũ & defenſorem, ad perfectam redintegrationem vnitatis eccleſiæ præfatæ iter arripienten dirigere, protegere & conſeruare digneris. Fuit reſponſum: Te rogamus, audi nos. Secundo dixit: Vt eccleſiam tuam & eumdem regem electum ab omnibus inimicis viſibilibus & inuiſibilibus præſeruare & defenſare digneris. Tertio dixit: Vt eumdem imperatorem electum etiam ad nos incolumem reducere digneris. Fuitque reſponſum ſecundo & tertio, ſicut primo. Completa litania, ipſe præſidens conuertit ſe ad imperatorem, dicendo preces: Saluum fac ſeruum tuum Domine, nihil proficiat inimicus in eo. Eſto ei Domine turris fortitudinis. Et decantata oratione pro pace eccleſiæ, redeunteque imperatore ad ſedem ſuam, dominus Antonius epiſcopus Concordienſis legit quamdam bullam & alia capitula infra-

*epiſcopum Verdenſem, de ſancto Spiritu: & ſermone ad clerum facto per reuerendum patrem dominum Nicolaum Cæretenſem epiſcopum, cuius ſermonis thema fuit,* Corpus noſtræ humilitatis. (Philipp. 3.) *Officio vero Miſſæ ſolenniter peracto, fuit inceptum officium litaniarum cum introitu, Exaudi nos Domine, more ſolito, cum collectis, orationibus & euangelio:* Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos: (Luc. 10.) *ac hymno, Veni creator Spiritus. His peractis, reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis cardinalis Viuarienſis, prædictus præſidens, acceſſit ad altare, ſereniſſimo domino rege Romanorum tranſeunte ad locum præſidentiæ, vbi parabatur ſedes ipſi domino regi, cum dominis Iordano Albanenſi & Angelo Præneſtino epiſcopis cardinalibus, ipſi domino * reaſſiſtentibus in officii ſolennitate. Quibus hincinde in locis prælibatis exiſtentibus, fuit ſecundario inceptum officium litaniarum per cantores Synodi. Quibus litaniis dictis, rege in loco ſuo genibus flexis ſtante, prælibatus reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis & præſidens legebat: Vt eccleſiam tuam, & imperatorem electum hic præſentem, eccleſiæ aduocatum & defenſorem, ad perfectiorem redintegrationem vnitatis*

* f. regi aſſiſtentibus

ſcripta tenoris ſequentis. *eccleſiæ præfatæ iter arripientem, dirigere, protegere & conſeruare digneris. Chorus reſpondebat: Te rogamus, audi nos. Subſequenter legit: Vt eccleſiam tuam & eumdem imperatorem ab omnibus inimicis viſibilibus & inuiſibilibus præſeruare & defenſare digneris. Te rogamus, &c. Tertio legebat: Vt eumdem regem imperatorem ad nos incolumem reducere digneris. Chorus: Te rogamus, &c. Tunc officium litaniarum vlterius more ſolito fuit completum per cantores ſiue chorum. Quo finito, idem dominus reuoluit ſe ad imperatorem, legendo preces ad verſiculum: Saluum fac ſeruum tuum Domine. Reſpond. Deus meus ſperantem in te. Subſequenter: Nihil proficiat inimicus in eo. Reſpond. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Eſto Domine ei turris fortitudinis. Reſpond. A facie inimici. Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum: Et cum ſpiritu tuo. Vltimo legebat collectam ad ponendam pacem in eccleſia Dei. His itaque peractis, rex Romanorum præfatus receſſit de illa ſede, & reuerſus fuit ad ſedem ſuam ſolitam, vna cum dictis dominis cardinalibus ſibi in officio aſſiſtentibus. Tunc aſcenderunt ambonem, in quo edicta & ordinationes ſanctæ Synodi Conſtantienſis ſolent legi & publicari, reuerendi patres domini Antonius Concordienſis, Vitalis Tolonenſis, Nicolaus Merſburgenſis, & Patricius Cortagenſis, epiſcopi nomine quatuor nationum, ſuperueniente & aſcendente poſtremo domino Ioanne patriarcha Antiocheno. Quibus ibidem exiſtentibus, dominus Antonius de mandato & auctoritate ipſius ſanctæ Synodi legebat ſchedulam papyream conceſſionum, legationum, ſaluiconductus & aliorum indultorum, reuerendiſſimo patri domino Angelo Corario cardinali Conſtantinopolitano per Concilium & Synodum conceſſorum & donatorum, in hunc modum.*

*Sacroſancta generalis, &c.* ANNO CHRISTI 1415.

Bulla legationis domini Angeli, olim Gregorii duodecimi, & prouiſionis eiuſdem.

*Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem eccleſiam repræſentans.*

Cum Chriſti fideles piis in Domino & deuotis affectibus, multis temporibus, ſolicitudinibus, impenſis, laboribus atque curis occupati fuerint circa extirpanda

Anno Christi 1415. ſchiſmata de eccleſia ſancta Dei, & poſt atque inter omnia alia huius peſtiferi morbi quæſita remedia, toti pene Chriſtianitati & huic tandem ſacro Concilio Conſtantienſi facilius & potius antidotum ad hoc exequendum viſum fuerit, renuntiationes ac ceſſiones papatus fieri debere per quemlibet pro papa, ſeu Romano pontifice ſe gerentem, præcipue quoque propter pacem & tranquillitatem ſanctæ matris eccleſiæ ſupradictæ, totalis redintegrationis ordinem ad perfectionem auctore bonorum omnium deducendum, laudabili humilitate proſecutus ſit dominus, videlicet reuerendiſſimus dominus Angelus de Corario, qui in ſua tunc obedientia Gregorius duodecimus dicebatur, renuntiando videlicet, cedendoque expreſſe in ſcriptis realiter & cum effectu, iuri, titulo & poſſeſſioni, quod, quem & quam, vel ſi quod, quem aut quam habuit in papatu, & reſignando papatum, & omne ius papatus, titulum & poſſeſſionem, quod, quem & quam habebat, vel habere dicebatur, per manus magnifici & potentis viri domini Caroli de Malateſtis, pro ſancta Romana eccleſia Arimini & nonnullarum aliarum terrarum in temporalibus vicarii & rectoris prouinciæ Romandiolæ generalis, plenum & ſpeciale ad hoc mandatum habentis, quemadmodum in geſtis ſiue actis publicis, in ſeſſione dicti ſacri Concilii quarta die huius menſis Iulii facta, per inſtrumenta authentica comprobatur. Et attendens dicta ſancta Synodus Conſtantienſis, quam ſponte & liberaliter in præſcriptis ceſſione, renuntiatione & reſignatione per ipſum dominum Angelum, & pro eodem proceſſum fuerit vſque ad effectum Deo gratum & commendabilem incluſiue, & etiam ad ipſius ſanctæ Synodi declarationem, antequam ille dominus, qui in ſua obedientia dicitur Benedictus, ceſſerit, aut cedere voluerit, experiretur, quantaque bona ex his ſanctæ matri eccleſiæ attulit, ac vniuerſo populo Chriſtiano proueniant, ſintque Domino largiente prouentura; & quod ſereniſſimus princeps & inuictiſsimus dominus Sigiſmundus Dei gratia Romanorum & Hungariæ, &c. rex, ſupradicta etiam pia conſideratione aduertens, quædam capitula ſeu articulos, perſonæ ſecuritatem, animi quietem, vitæ & ſtatus condecentiam dicti domini

Conſtant. Concilii ſeſſ. 14.

Anno Christi 1415.

Angeli olim in ſua obedientia Gregorii duodecimi nuncupati, concernentia, dictæ ſanctæ Synodo exhibuit atque porrexit, volens dicta ſancta Synodus, quod eccleſiæ ſanctæ filii videant, quanta ſibi benefacientes ipſa mater eccleſia gratitudine proſequatur, præcipue tanti filii & defenſoris precibus inclinata, ſtatuit, ordinat & decernit, quod dictus dominus Angelus inter ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales ſit, & eſſe debeat epiſcopali titulo, per præſens Concilium, aut futurum Romanum pontificem ſuo tempore pro pace eccleſiæ declarando, cum omnibus honoribus & emolumentis, & aliis debitis ſeu conſuetis perpetuo inſignitus, ſecunduſque poſt Romanum pontificem dignitate & ordine habeatur, nec aliquis ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium ſibi in hoc præferatur: ſaluo, ſi dominus ille qui in ſua obedientia dicitur Benedictus, conſimiliter renuntiauerit & ceſſerit ſponte iuri, titulo & poſſeſſioni papatus, quod, quem & quam ſe prætendit habere, & ipſos ambos in eodem loco ſiue tractatu ſimul perſonaliter concurrere contingat, quod tunc in ſacri Concilii ante electionem, & futuri pontificis Romani poſt electionem poteſtate exiſtat, inter ipſos duos gratificando, quis præemineat, ordinare. Inſuper dicta ſancta Synodus ſtatuit, ordinat & decernit, quod dictus dominus Angelus quoad vixerit, ſit ſanctæ ſedis apoſtolicæ in prouincia Marchiæ Anconitanæ & præſidatus * Farcenſis, cum prouiſione, ſalario, gagiis, muneribus & honoribus ſolitis, cardinalis legatus de latere in ſpiritualibus & temporalibus, atque vicarius generalis irreuocabiliter permanſurus, cum omnibus & ſingulis facultatibus & auctoritatibus huiuſmodi legatorum, quæ legatis talibus concedi per ſedem apoſtolicam in forma pleniſſima conſueuerunt: quodque eidem domino Angelo fauores & gratiæ ſedis apoſtolicæ in præbendis beneficiis & aliis prouiſionibus largiflue impendantur. Præterea dicta ſancta Synodus ſtatuit, ordinat & definit, quod idem dominus Angelus, ratione & occaſione ſpiritualis & temporalis adminiſtrationis papatus vere ac putatiue, quomodocumque & qualitercumque vſque in præſentem diem, & quouſque per formam conſtitutionis pridie in dicta ſancta Synodo factæ, eidem lice-

* Farfen.
* Farfen.

ANNO CHRISTI 1415. bit, quem & quam habuit aliquando, aut cuiuſuis legationis, vicariatus, ſeu nuntiationis ſedis apoſtolicæ, aut alterius geſtionis, ſiue adminiſtrationis nomine Romanæ eccleſiæ, & maxime in prouincia Marchiæ Anconitanæ, vel alibi, dum minori fungebatur officio, ac etiam occaſione vel cauſa ſuæ perſonæ non poſſit, neque debeat de actis, geſtis, ordinatis, indultis, conceſſis, receptis, leuatis, habitis & erogatis, donatis & alienatis ac effuſis, quitatis, liberatis, aut aliis quibuſcumque, ſeu qualitercumque factis ſeu peractis per eum, ſeu eius nomine, aut quæ ad eum, vel poteſtatem eius quoquo modo peruenerint, ad cuiuſcumque officii vel cuiuſcumque perſonæ inſtantiam, cuiuſuis dignitatis, præeminentiæ, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis aut ſexus, etiam ſi papalis, pontificalis, imperialis vel regalis exiſtat, de iure vel de facto, aut aliter qualitercumque conueniri, denuntiari, accuſari, vexari, inquietari, impediri ordinarie ſiue extraordinarie, cum promotione vel ſine, in iudicio ſiue extra, per ſe vel per alium, apoſtolica Concilii præſentis, aut alia quauis auctoritate ordinaria vel ſubdelegata, ſeu alias moleſtari, nec contra eum inquiri valeat, nec vllo vnquam tempore realiter vel perſonaliter, ciuiliter vel criminaliter, aut mixtim, ſeu alias quomodocumque, etiamſi dolus vel fraus, aut aliqua alia corruptela circa præmiſſa vel eorum aliquod re ipſa vel alias notari poſſent, aut dicerentur quomodolibet interueniſſe: quodque idem dominus Angelus non teneatur, nec debeat cuiquam (vt præmittitur) perſonæ in iudicio vel extra de præmiſſis vel aliquo eorum, aut dependentibus, emergentibus aut connexis, ſiue prorſus extraneis a præmiſſis vel aliquo præmiſſorum, reſpondere, rationem reddere, aut calculum facere, etiam coram gentibus apoſtolicæ cameræ, vel aliis quouis modo, directe vel indirecte, publice vel occulte, niſi quatenus ſibi propria conſcientia, cui quo ad hoc totaliter relinquatur, dictauerit faciendum. Dicta namque ſancta Synodus ex ſuperabundanti liberat dictum dominum Angelum de his omnibus, vniuerſis & ſingulis, aliiſque, in quibuſcumque pondere, numero & menſura, cuiuſuis qualitatis, quantitatis, generis vel ſpeciei, iuris corpore comprehenſorum, vel non, exiſtant, quæ omnia

hic & eorum valores, nomina, cognomina, qualitates, genera ac ſpecies habere voluit, & vult pro ſpecifice & expreſſe declaratis, ac ſi de eis expreſſa mentio facta foret, etiam ſi ſacra fuerint aut profana, communiter vel diuiſim, ſeu mixtim ad quemcumque valorem aſcendant, attenta libera & ſpontanea ceſſione iuris papatus per ipſum dominum Carolum de Malateſtis procuratorem eius, pridem in huiuſmodi ſancta Synodo facta, pro pace & vnione in eccleſia ſancta Dei prædicta, quantum in eo fuerit, modis omnibus promouendis, quibus Romanæ eccleſiæ obligatus aut obnoxius fuerit, vel dici potuerit, ſiue poſſit; eximit, quitat, liberat penitus & abſoluit: nec non vult & nuntiat eum ab illis omnibus totaliter exemptum, quitatum, liberum & abſolutum: eidemque domino Angelo pro ſe vel ſuis heredibus ac ſucceſſoribus omnia & ſingula ſanctæ Romanæ eccleſiæ & apoſtolicæ cameræ per eum qualitercumque debita, vel alias pro eo plenarie, libere & pure remittit, donat & lagitur. Tollit denique ex certa ſcientia quo ad præmiſſa omnia & ſingula, inualidat atque ſuſpendit dicta ſancta Synodus, tam reſtitutionis in integrum, quam de vacatione ſedis, & omnia alia iura & beneficia, ſiue priuilegia, per quæ Romanæ eccleſiæ apoſtolicæque cameræ prædictæ, aut futuro eius pontifici contra præmiſſa vel aliquod eorum ſubueniri, aut de ipſis vel eorum aliquid infringi, ſeu aliqualiter poſſent tranſgredi aut violari, decernens irritum & inane, ſi quid in contrarium a quouis, quauis auctoritate, vel quouis ingenio vel colore contigerit attentari, non obſtantibus quo ad omnia & ſingula ſupradicta, tam canonicis, quam ciuilibus iuribus & apoſtolicis conſtitutionibus, generalium Conciliorum conſtitutionibus, ac aliis diſpoſitionibus contrariis quibuſcumque. Statuens & ordinans dicta ſancta Synodus, quod quilibet futurus Romanus pontifex omnia & ſingula ſupradicta ſtudeat inuiolabiliter obſeruare, eaque ſuis apoſtolicis literis in forma plena, congrua & decenti approbet, ratificet, de nouo concedat, indulgeat atque confirmet: & quod quicumque Romanum pontificem eligentes, quo ad hoc, ante ſui apoſtolatus inthronizationem ſub vinculo præſtandi iuramenti obligent efficaciter & adſtringant, mandans,

ANNO CHRISTI 1415. dans & præcipiens dicta ſancta Synodus, quod vltra ſacri Concilii publica geſta ſeu munimenta ſolito more ſuper præmiſſis conficienda, fiant ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, & quolibet eorum ad maiorem certitudinem patentes literæ, ſub ſigillo Concilii in forma pleniſſima cum omnibus & ſingulis clauſulis, non obſtantibus neceſſariis, reuocatoriis & derogatoriis, & aliis opportunis dicto domino Angelo, ſeu alteri vel aliis, pro eo recipienti vel recipientibus, aſſignandæ.

*Quarum quidem ordinationum, conceſſionum, prouiſionum & indulgentiarum ſchedula, vt præmittitur, lecta, reſponſum fuit ad contenta in eadem, primo per dominum Antonium Concordienſem pro Italica, Vitalem Tolonenſem pro Gallicana, Nicolaum Merſburgenſem pro Germanica, & Patricium Cortagenſem epiſcopos pro Anglicana nationibus prædictos, & Ioannem epiſcopum Oſtienſem cardinalem Viuarienſem pro collegio cardinalium, Placet.*

*Quibus, vt præmittitur, factis, Ioannes patriarcha Antiochenus eodem loco exiſtens, de ſimilibus voluntate & mandato legebat vnam ſchedulam certarum inhibitionis, cenſuræ & excommunicationis ſententias ac priuationes in ſe continentes, contra omnes & ſingulos dantes & dari facientes impedimentum dominis prælatis, ambaſiatoribus, nuntiis, procuratoribus, & aliis ad Concilium venientibus, & de Concilio recedentibus licentiatis. Nec non dictum impedimentum regiæ maieſtati & ſecum venientibus, ſiue itinerantibus, in eundo & redeundo Niciam, & de Nicia ſiue aliis locis per quos tranſiuerit, & in quos interim fuerit conuentum de mutua viſione habenda, prout inferius ſequitur.*

*Item idem patriarcha nomine & auctoritate quibus ſupra, pro vnione & felici ipſius regis tranſitu, & ſuorum, die dominica eſſe proceſſionem generalem per prælatos ſanctæ Synodi Conſtantienſis, & de cetero domino rege exiſtente foras in itinere, omnibus diebus dominicis eſſe debere proceſſionem generalem. Et fuit reſponſum per dominos deputatos prædictos ac cardinalem Viuarienſem: Placet. Super quibus venerabilis vir magiſter Henricus de Piro promotor petiit ſibi fieri vnum vel plura, ac tot quot ſufficiant, per protonotarios ſedis apoſtolicæ, & notarios nationum & Concilii Conſtantienſis, & alios ſingulos ibidem præſentes, publicum ſeu publica, inſtrumentum & inſtrumenta. Præſentibus ibidem illuſtribus principibus dominis Ludouico comite de Palati-*

*no Rheni, Friderico burgrauio Nurembergenſi, Carolo de Malateſtis domicello Arimini, & pro ſancta Romana eccleſia in prouincia Romandiolæ rectore generali; Guntero comite de Suuartzburg magiſtro curiæ Romanorum regis, Bertholdo de Vrſinis comite Suanenſi, Ioanne de Paleſthoue., & Zauiſchio dicto Nigro, ambaſiatoribus regis Poloniæ, aliiſque regum, principum & baronum, ciuitatum, vniuerſitatum, ſtudiorum ambaſiatoribus, & ceteris Chriſtianis in multitudine copioſa.* Anno Christi 1415.

*Tenor vero dictæ ſchedulæ, per præfatum patriarcham Antiochenum lectæ, de qua ſupra ſit mentio, ſequitur & eſt talis.*

*Quod impediens regem Romanorum in itinere ad regem Aragonum, ſit ipſo iure excommunicatus.*

Quia dignum eſt, laborantes pro pace ſacroſanctæ eccleſiæ plena libertate, ſecuritateque gaudere, nulliſque impedimentis ſeu moleſtiis inquietari, hæc ſacroſancta Conſtantienſis Synodus, eccleſiam catholicam repræſentans, in Spiritu ſancto legitime congregata, ſtatuit, definit & ordinat, quod quicumque cuiuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtat, etiam ſi regalis, cardinalatus, patriarchalis, archiepiſcopalis, epiſcopalis, ducatus, principatus, comitatus, marchionatus, ſeu alterius cuiuſcumque dignitatis ſeu ſtatus eccleſiaſtici vel ſæcularis exiſtat, qui ſereniſſimum & Chriſtianiſſimum principem dominum Sigiſmundum Romanorum & Hungariæ, &c. regem, vel alios cum eodem, ad conueniendum cum domino rege Aragonum pro pace eccleſiæ, ad extirpationem præſentis ſchiſmatis per hoc ſacrum Concilium ordinatos, ad dictam conuentionem euntes vel redeuntes impediuerit, perturbauerit vel moleſtauerit, aut aliquod damnum in perſonis aut bonis, aut familiis eorum intulerit, aut inferri per alium ſeu alios, directe vel indirecte, clam vel palam, ſeu quoquo modo inferri procurauerit, ſententiam excommunicationis auctoritate huius ſacri Concilii generalis ipſo facto incurrat, abſolutione eiuſdem ipſi ſacro Concilio, ſeu futuro vnico & indubitato ſummo pontifici, præterquam in mortis articulo, ſpecialiter reſeruata: & vlterius omni honore & dignitate, officio, beneficio eccleſiaſtico vel ſæculari ſit ipſo facto priuatus.

ANNO CHRISTI 1415.

*Quod celebretur Miſſa ſingulis diebus dominicis per Concilium, & fiat proceſſio, & intereſſentes habeant centum dies indulgentiarum.*

Item vt Deus præfati ſereniſſimi principis & aliorum cum eo ad dictam conuentionem eccleſiæ ſuæ greſſus dirigere, & corda illorum cum quibus acturi ſunt, ad eamdem pacem ſeu clementiam inducere, & illos cum dicta pace obtenta ad dictum ſacrum Concilium incolumes reducere dignetur, ſtatuit & ordinat ſancta Synodus, quod ſingulis ſeptimanis die dominico fiat proceſſio generalis in hac ciuitate Conſtantienſi cum Miſſa ſolenni: quibus proceſſioni & Miſſæ omnes prælati in hoc Concilio exiſtentes intereſſe teneantur, veſtimentis pontificalibus (vt eſt moris) induti. Conceditque dicta ſancta Synodus cuilibet præmiſſorum intereſſenti centum dies indulgentiarum, & totidem cuilibet presbytero vnam Miſſam celebranti, & aliis qui deuote ſemel in die, Pater noſter & Aue Maria, pro dicta incolumitate orando dixerint, quadraginta dies indulgentiæ in forma eccleſiæ conſueta. Lectis ſupradictis, per deputatos quatuor nationum, dominum præſidentem, fuit concorditer reſponſum: Placet.

## SESSIO XVIII.

ANNO & indictione quibus ſupra, die vero Sabbati decimaſeptima menſis Auguſti, fuit celebrata ſeſſio generalis in maiori eccleſia Conſtantienſi, in qua præſidebat reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis & vicecancellarius, fuitque decantatum officium Miſſæ de aſſumptione beatæ virginis Mariæ per dominum Petrum epiſcopum Olorenſem. Quo finito, legebantur litaniæ, & alia fiebant more aliarum ſeſſionum. Quibus expletis, dominus Antonius epiſcopus Concordienſis legebat articulos inferius deſcriptos.

*cum introitu, Gaudeamus omnes in Domino, prout in feſto aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, litaniis & orationibus, Veni creator Spiritus, euangelio, &c. Præſentibus ibidem reuerendiſſimis patribus dominis, Ioanne epiſcopo Oſtienſi cardinali Viuarienſi præſidente, Iordano de Vrſinis Albanenſi, Angelo Laudenſi Præneſtino, epiſcopis;*